



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

16 Procuratio, an debeatur pro consecratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

lat. prelat. & c. in causis, de re iudic. Episcopi tamen aliqui, privilegio Papæ suffulti aquam per ipsos exorcizatam personis in dignitate Eccles. constitutis transmittere, & facultatem reconciliandi illis delegare possunt, quod privilegium ex causa concedi solet.

- II Altaria sine reliquiis † consecrari non possunt, *cap. placuit, de consecr. d. 1.* & consecratio altaris præcipue consistit in conjunctione mensæ, scilicet, lapidis superioris, & structuræ inferioris, Innoc. *in rub. de consecr. n. 2.* Nam pluribus ex causis reconsecrantur, si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, contractus, aut etiam diminutus, *c. 1. & c. 2. de consecr. eccl. vel altar. sunt etiam reconsecrandæ, si augeantur, vel minuantur, aut mutantur, ita quod amittant priorem formam, quia forma dat esse rei,* Abb. *in cap. ligneis, nu. 2. eo. tit. & pari modo altare viaticum, si amittat formam, vel frangatur, illius sigillum est reconsecrandum, ut per Abb. ubi supra.*
- 12 Sicut enim † altare consecrari non debet, nisi ab Episcopo, sic non debet quis illud execrari, vel destruere, nisi Episcopus, vel alius de ejus mandato Turrecrem. *in cap. placuit, de consecr. dist. 1.* † Vasa sacra, planetæ, pallæ, vestes sacerdotum, & ministrorum, & similia non sunt ad usus profanos convertenda, quia Deo dicata ad usus profanos reverti non debent, *cap. nulli, 12, q. 2. & cap. semel, de reg. jur. in 6.* sed paramenta, si qua vetustate sint consumpta, comburi debent, & cineres in ecclesia sub pavimento, vel alio loco tuto, & honesto, ne pedibus intrantium conculcentur, sunt reponendæ, *cap. altaris de consecr. d. 1.* † Calicem verò, nisi de auro, argento,
- vel stanno consecrare non licet, non autem ex ære, aut aurichalco, quia ob vini virtutem æruginem facit, pariterque vomitum provocat, minusque ligneum, aut vitreum, cum quo missa prohibetur celebrari, *cap. ut calix, ead. dist. & quicquid in contrarium supra disponatur de calice ex stanno, qui non est prohibitus, hodie minime admittitur eadem ratione, quia de facili æruginatur, & nauseam parit celebranti, eodem c. ut calix.* & ubi est eadem ratio, eadem debet esse juris dispositio, *l. illud, ff. ad l. Aquil.*
- 15 Virgines quoque † non, nisi per Episcopum, possunt consecrari, *cap. quamvis corepiscopi, 68, dist. & cap. si jubet, 26, quest. 6.* & debent consecrari in veste professionis, quam semper ferre tenentur, *cap. sanctimonialis, 23, dist.* sunt enim consecrandæ solemnibus diebus tantum, ut in Epiphania, per hebdomadam Paschæ, & in festis Apostolorum, nisi in contrarium imminet necessitas, *cap. devotionis, 20, q. 1.*
- 16 Quæri potest, † an procaratio pro visitatione debita, ut suo loco dicetur, recipi etiam possit pro consecratione, & est distinguendum, quòd, aut loquimur de consecratione calicum, ordinandorum, & virginum, quæ fit in propria civitate, & pro ordinandorum consecratione, & tunc res caret difficultate, quòd nihil accipi possit in quocunque loco ordinationes habeantur, sed gratis operam suam visitantes præstare omnino tenentur, Conc. Trid. *c. 1. de refor. sess. 21.* & eadem ratio militat in virginibus consecrandis, vel velandis, ac calicibus consecrandis, campanisque benedicendis, & ita se habet communis usus, & consuetudo, quæ est servanda, Conc. Trid. *cap. 3. §. in iis verò, de reformat. sess. 24.* aut est

est consecranda ecclesia extra civitatem, & 19
cùm non brevi tempore consecratio fieri
possit, ita quòd, nec commode ad pala-
tium Episcopale pro sumendo prandio E-
piscopus redire valeat, tunc prandium,
aliaque victualia eundo, & redeundo ab
iis, qui ejus ministerium requisiverunt, su-
mere potest, etiam quantumcunque eccle-
sia consecranda sit vicina Episcopatu, quia
ista procuratio est annexa visitationi, &

17 consecrationi, † quæ præstat in signum 20
superioritatis, & ut facilius Prælati indu-
cantur ad visitandum, & consecrandum,
gloss. in c. cùm sit Romana, ubi etiam Abb.
n. 2. de simo. Innoc. in cap. Romana, de cens.
& Grass. decis. 15. n. mibi 10. par. 2. lib. 2.
dummodò non obsit paupertas, quia casu,
quo propter paupertatem procuratio sub-
ministrari non possit, tunc Episcopus pro- 21
priis sumptibus Ecclesiam consecrare te-
netur, ut tenet gloss. & Abb. in d. cap. cum
sit Romana.

18 Frequenter etiam quæritur, † cujus ex-
pensis debeat Episcopus accedere ad ec-
clesiam pollutam reconciliandam, & o-
missis disputationibus, aut scitur quis vio-
laverit, ecclesiam, & est solvendo, & tunc
expensis illius, qui eam violavit, reconcilia-
ri debet, arg. text. in l. 1. ubi etiam Bart. ff. de
20, per qu. fac. erit, aut nescitur, vel non est
solvendo, & tunc si ecclesia est parochialis,
parochus solus, si juxta redditus id com-
mode facere potest, nisi in contrarium sit
statutum, aut vigeat consuetudo, vel paro-
chus est pauper, & tunc sumptibus paro-
chianorum, & in defectum omnium de- 22
bet Episcopis suis expensis ecclesiam re-
conciliare, ut post Jo. Andr. & alios distin-
guit, & tenet Abb. in c. proposuisti, n. 21. de
cons. eccl. vel altar.

Si vero ecclesia † est regularis sine cura
animarum & ignoratur, quis ecclesiam pol-
luerit, vel is non sit solvendo tunc, nec E-
piscopus, nec populus tenetur, cùm regu-
lares sint exempti à jurisdictione Episcopo-
rum, neque ex obligatione sacramenta po-
pulo ministrare teneantur, & populus mi-
nime ad illa ab eis recipienda cogi possit,
quia, uti exemptos ab onere sacramenta
ministrandi, & ab ordinaria jurisdictione

20 contra ipsos procedit regula, † quòd, qui
sentit commodum, sentire debeat, & in-
commodum, & contra, cap. qui sentit, de
reg. jur. in 6. Valde tamen decebit, si tali ca-
su Episcopi eorum officium exerceant in
reconciliandis ecclesiis regularium, quan-
tumvis exemptorum, & Joan. Stephanus
ex illustri familia Agationum Vercellen,

21 † Episcopus Astensis in Ordinarii loci le-
gitima à civitate, & diocesi absentia requi-
situs pro reconciliacione ecclesie monaste-
rii S. Pauli Ordinis Prædicatorum Vercel-
len. humani sanguinis effusione polluta, ab
eadem civitate Asten Vercellas pro ejus-
dem ecclesie reconciliacione se transtulit,
illamque præsentem Vespasiano Agatia Ab-
bate Abbatiæ B. Mariæ de Abundantia Ge-
bergen. diocesis, ejus consanguineo, & me,
una cum maxima cleri, & populi multitu-
dine, sub die 18. mensis Novembris anni
1601 reconciliavit, gratis, sine aliqua pro-
curacione viatici, nec tam eundo, quàm stan-
do, sumptuum etiam cibariorum submi-
nistracione, peragendo functionem, quæ bo-
num, & pium decet pastorem in benefi-
cium ecclesie dicti † ordinis mendicanti-
um, qui sit. paupertatis merito pluribus
gaudet privilegiis, de quibus plenè scripsit
Alphonf. de Casa Rub. in compend privile-
leg. Frat. Minor. & Mendic. pœtorum.